

Illius nuptiarum faciendæ essent sed hoc non potest admitti, nisi in iis locis, ubi talis esset usus, aut puella magno rubore suffundenda esset; quod quidem raro accidit (1).

43 Potest 8. excusari mulier, si sciat quod Juppiter concupiscatur. Sed dicimus quod illa non tenetur ideo abstinere a Sacro, nisi semel aut bis (2). Denique potest probabiliter excusare jactura magni lucri, ut in simili dictum est n. 22. Et ita etiam possunt excusari muliones, rhedarii, molitores, qui, ut Sacro adessent, magnum damnum, aut jacturam lucri extraordinarii subitari essent (3). Ita etiam potest excusari, qui omitteret Sacrum ut impediret aliquod grave peccatum, aut damnum: aut ut confiteatur, qui secus esset diutius permansurus in peccato mortali. Sed non licet Missam omittere, ut faciat aliquod opus non

præceptum, licet altioris meriti (4). An autem peregrinus teneatur ad audiendum Sacrum in festo, in loco ubi est de præcepto, licet ibi tantum diem moretur, vide quid dictum est de legibus *Tract. 2. n. 41.*

Hic obiter notandum Benedictum XIV, in Brevi *Cum sicut*, dato 22 Decemb. 1748. in regnis Neapolis, et Siciliarum permisisse opera servilia in festis, exceptis *Dominica paschali, et Pentecostes, et omnibus aliis dominicis; item diebus Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, et ejus Nativitatis, item Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. V. Mariæ immaculatæ item diebus ss. Petri et Pauli, omnium Sanctorum, et patroni principatus cujusque civitatis aut loci diœcesis.* In aliis autem festis indulget fidelibus teneri tantum ad Sacrum audiendum

## TRACTATUS VII.

### DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUT I.

##### DE FILIORUM OBLIGATIONE

1. De amore erga parentes.
2. De reverentia.
3. De obedientia.

1. Filii tenentur erga parentes (ita etiam subditi erga Superiores) amorem, reverentiam, et obedientiam præstare. Quare peccant graviter 1. contra amorem, et quidem pluribus modis: 1. Si ab eis abhorrent, aut illis malum grave optant (in quo dupliciter peccant, contra pietatem, et contra justitiam). 2. Si injustis modis eos impediunt, ne testamentum conficiant. 3. Si eos sine justa causa gravi molestia afficiunt. 4. Si non subveniant in gravi necessitate temporali, aut spirituali,

(1) N. 330. — (2) L. 3. n. 331. — (3) N. 332.

præcipue si negligunt ut illi in articulo mortis Sacramenta suscipiant (5)

2. II. Peccant graviter contra reverentiam, 1. Si percutiant eos etiam leviter, aut ostendant velle eos percutere. 2. Si gestu eorum, contumeliose exprimendo derisui eos habeant. 3. Si maledicta, aut convicia in eos coram effutiant, appellando illos *amentes, ebrios, bestias, latrones, veneficos, scelestos.* Vocare autem eos *senes, ignaros, stupidos, etc.* non debet absolute damnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter contristarentur (6). Dictum est *coram*, quia si filius parenti illuderet, aut mala imprecaretur, sine pravo animo, et clanculum, nescirem eum damnare de peccato mortali (7).

(4) *Ibid.* v. Non excusatur. — (5) L. 3. n. 333. — (6) N. 334. — (7) *Ibid.* v. Absoluto.

3. III. Peccant graviter contra obedientiam, 1. Si ipsis invitis ducunt uxores indignas cum familia dedecore (observetur quod dicitur de sponsalibus *Tractatu 18. num. 10.*) 2. Si furentur in materia gravi bona domus; quocirca observetur quod dicitur loquendo de furto *Tract. 10. num. 32.* Peccant. 3. Si non obediant parentibus in rebus gravibus et justis, ac per ipsos jussis (præcepto expresso et serio, ut dicunt *Roncaglia, Holzman, et Sporer*) v. g. ne ludant ludis perniciosis, ne domo exeant nocte, ne cum mulieribus, aut cum malis sociis versentur, etc. (1). Dictum est in rebus justis, quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire, ut docet s. Thomas (2). *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda.* Quare parentes (ut dicemus capite sequenti) si impediunt filios, quominus statum eligant, aut cogunt eos ad suscipiendum aliquem statum invitos, peccant graviter.

#### CAPUT II.

##### AD QUID TENENTUR PARENTES ET FRATRES.

4. De alimentis, Legitima, et dote; decisio quatuor Rotarum.
5. De educatione; si pater impedit vocationem, aut cogit ad aliquem statum, aut ingredi monasterium.
6. Ad quid tenentur fratres.

4. Parentes ad duo potissimum tenentur, ad procurandam filiis conservationem, et educationem. Circa conservationem ipsi peccant. 1. Si bona sua dilapident, ita ut impotentes redantur ad ministranda filiis (licet essent spurii) alimenta necessaria, aut si negligant eis modo quo possunt illa procurare. 2. Si injuste privent eos in morte Legitima, aut in vita recusent constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines sacros promoveri cupiunt, aut negent dotem filiabus, licet ipsis invitis illæ (1) Lib. 3. n. 335. — (2) 2. 2. q. 104. a. 5.

nupserint, cum jam annum 25. excesserint. Si autem ante illam ætatem nupserint, diversæ adsunt opiniones; sed probabilior mihi videtur illa Sanch. Molin. Salm. Trullench., etc. qui dicunt patrem saltem teneri ministrare alimenta, licet se indignis nupserint (4). Respectu autem patris, ait Sanch. Boss. cum Glossa in *cap. Admonere 33. q. 4.* et cum Surdo illum teneri alimenta non filio modo, sed etiam ejus uxori, etsi ipsam duxerit absque dote, et contra voluntatem patris (4). Præterea aiunt Azor. et Merenda (5) cum Baldo et Jasone, patri alendum esse filium, etiamsi iste consumpsisset in vitiis partem sibi prius datam. Hic adnotetur decisio 4. Rotarum s. Conc. Neapol. quod pater non potest domo filios expellere, licet feris vellet eis ministrare alimenta, et contra quod filii nihil possint prætere a patre si velint extra domum habitare, nisi hoc facerent causa virtutis (6). Quando autem pater possit, vel non, filios exheredare, vide quod dicemus *Tract. 10. n. 258.* cum loquemur de contractibus.

5. Circa educationem 1. peccant parentes, si negligunt filios in rebus Fidei, et salutis instruere vel per se, vel per alios 2. Si eis scandalum afferant, blasphemias, vel verba obscœna proferendo, etc. et præcipue si secum in lecto decumbere faciant, aut permittant pueros et puellas simul dormire. 3. Si de excessibus eos non corripuerint, et præcipue si aliquid furati sint. 3. Si non curent, ut filii Sacramenta suscipiant, et festa, jejunia, etc. observent 5. Si permittant ut illi cum scandalosis versentur, et præcipue si non impediunt quominus sponsi suarum filiarum ad domum accedant. 6. Si impediunt filios quominus aliquem

(3) Lib. 3. n. 336 v. 3. Pater. — (4) Sanch. l. 4. de matr. D. 26. n. 21. Boss. de effect. matr. p. 2 n. 95. etc. — Azor. p. 2. l. 2. c. 4. q. 12. Merenda contr. l. 4. c. 34. n. 6. — (6) L. 3. n. 333.

vite decentem statum assumant, v. g. matrimonium sibi competens (1); observetur circa hoc quod dicitur *Tractatu. 18. num. 17.* cum sermo fiet de sponsalibus, Tanto magis peccant, si filios a statu religioso sine causa avertunt (2); observetur quid dicitur *Tract. 13. n. 25. 7.* Peccant contra si cogant filios ad nuptias inmundas cum certis personis: modo non adsit aliqua gravissima causa, puta si aliquod matrimonium multum conferret ad aliquam grandem inimicitiam sedandam, aut ad solandos parentes gravi necessitate oppressos; ita dicunt Bellarm. Laym. Sanch. Petrocor. Tolet. et alii communiter cum s. Thoma; sed hoc intelligitur semper ac filius staturerit ducere uxorem (3). Ita etiam peccant, si adigant filios ad ecclesiasticum statum, vel religiosum, aut filias ad monasteria ingredienda. Et hic advertatur quod juxta Trident. *Sess. 25. cap. 18. de reg. et mon.* incurrit excommunicationem quicumque adigit puellam ad profitemdum in aliquo monasterio, ad suscipiendum habitum; et etiam ad illuc ingrediendum, licet solo fine educationis, uti tenemus cum Suar. Nav. Bonac., etc. contra Sanch. sic intelligendum Concilium citato loco (4). Contra dicimus non incurrere censuram illos parentes, qui simpliciter suaderent suis filiabus monasterium ingredi, ut ait Barbosa cum Rodriq. et alii contra P. De Alexandro *de monialibus* qui non recte supponit hoc esse quandam coercionem metu reverentia; nam revera aliud est ingredi timore incusso a patre, aliud est ex voluntate patris, etiamsi adjungeret preces, modo istæ non sint nimis instantes, adeo ut probabilis timor incuteretur ne pater secum indiget (5). Cum autem Concilium exceperit casus in jure expressos,

(1) L. 6. n. 849. circa. fin. v. Conventiunt. — (2) L. 3. n. 335. v. Præterea. et l. 4. n. 77. — (3) L. 6. n. 850. — (4) L. 7. n. 212 v. Quoad. — (5) lb. Dubit. 2.

probabiliter Suar. Bonac. et Filiuc. permittunt posse cogi puellas ad ingrediendum monasterium in poenam alicujus delicti, vel ne cadant in aliquam impudicitiam, uti deducitur ex *cap. Significavit, et cap. Gaudemus de convers. conjug.* (6). Imo ego nescirem id culpa damnare, cum, si domi detineretur puella, esset in periculo dandi, aut recipiendi scandalum; tunc enim videtur finis legis Concilii cessare non solum negative, sed etiam contrarie, juxta id quod dictum est de legibus *Tract. 2. n. 69.* (observa quæ fusius dicentur super hanc excommunicationem *Tractatu 19. num. 29.*). Præterea hic advertatur cum eodem *de Alexandro* quod excommunicantur etiam qui sine justa causa impediunt puellas professionem emittere, aut habitum suscipere in aliqua religione; et etiamsi impediant ingressum in monasterium, uti probabiliter tenent Suar. Bonac. et Filiuc. adversus Sanchez, et Castropal. (7).

6. Quoad fratres, etiam isti tenentur cum possint alimenta suis fratribus, et dotes sororibus ministrare, et non tantum in necessitate extrema, sed etiam gravi, ut communissime docent Azor. Barbosa, et Salmant. cum Trullench. Fagnan. Menoch., etc. Dicunt tamen hii a. quod fratribus, et sororibus uterinis non ad aliud tenentur quam ad alimenta (8).

### CAPUT. III.

AD QUID TENENTUR DOMINI SERVI ET CONJUGES.

7. *Obligatio dominorum, præsertim circa salariam.*
8. *Obligatio servorum. Si permittant furari. Si discedant contra pactum.*
9. *Salarii præscriptio.*
10. et 11. *Compensatio,*
12. *Viri obligatio.*
13. *Mulieris obligatio, præsertim de sequendo viro*

7. I. Quoad dominos, peccant hi, (6) lb. v. Quoad in fine. — (7) lbid. Dubit. 3. v. Insuper. — (8) L. 3. n. 340. v. Notandum

I. Si in causa sunt cur servi non satisfaciunt præcepto fectorum, et annualium Sacramentorum. 2. Si eis denegent, aut differant salarium. 3. Si eos non corrigant, cum blasphemant, aut scandalum præbent. 4. Si eos sine justa causa ante tempus conventum ejeciant, et tunc tenentur integrum salarium promissum eis solvere, ex L. *Qui operas* 38. et L. 16. ff. *Locati.* Sed hoc intelligitur post sententiam: nam si servus ex expulsionem nihil damni passus fuisset, tunc non debet dominus obligari ad integrum salarium, sed ad mediætem, et aliquid amplius (1). Si autem servus infirmetur per sex menses ad nihil tenetur dominus juxta communiorum Lugonis, Molina, Laym. Croix, etc. (quidquid dicat Antoine; dummodo illic non adsit contraria consuetudo. Et ne tenentur quidem ad expensas infirmitatis, ut probabiliter tenent Lugo contra alios; modo servus non esset in gravi necessitate (2).

8. II. Quoad servos dicimus, quod peccant isti. 1. Si famulatu desunt, aut si domino, ut debent, non obediunt. 2. Si permittant dominos dampnum pati cum impedire possent, et dampnum provenit ab extraneis, ad restitutionem tenentur; si vero fieret a domesticis, juxta communiorum, et probabiliorum Lessii, Lugonis, Azorii, Molina, Holzman, Salmant. (contra Pontium, et alios) peccarent contra charitatem, cum commode possent impedire dampnum; non autem contra justitiam, dummodo illorum honorum cura non sit illis præcipue commissa (3). 3. Peccat servus, si ante statutum tempus discedat sine causa. Sed eo casu non potest dominus illi negare totum salarium quod ei debetur pro rata famulatus præstiti; satis tamen erit, si ei solvet dimidium, aut paulominus, ita dicunt Azor. Filiuc. Silvest. Salmant. Trullench. Fagund., (1) N. 342. — (2) lbid. v. 3. Herus, et n. 864. — (3) L. 3. n. 343. et 344.

etc. (4). Si vero discessit ob infirmitatem, aut aliam justam causam, potest totum stipendium tempore correspondens famulatu exhibito exigere, et tunc nec supplere tenetur opera a quibus tunc cessavit (5).

9. Notandum hic I. Servo post duos annos, quam discessit (juxta Bullam sancti Pii V. apud *Salmant. de h. præcepto num. 134.*), imo post duos menses (juxta Decretum S. Concilii Neapolitani) non posse amplius dari actionem in salarium; sed hoc intelligitur in judicio, quia in conscientia bene potest illud prætere, imo compensare, modo pro domino non stet præscriptio triennialis legitime facta cum titulo, et bona fide (6), juxta id quod dicitur *Tract. 10. n. 10. et 11.* cum de præscriptione erit sermo.

10. Notandum 2. Quod si servus famulatus fuisset sine salario determinato, et dominus nollet ei satisfacere, bene potest sibi compensare, saltem quoad infimum pretium, semper ac dominus solitus fuisset solvere illud aliis, aut si jam aliis soluturus esset. Aliud vero est de illis pueris, pro quibus rogantur nobiles, ut eos inter suos familiares adscribant, vel cooptent, quibus ex consuetudine solent dari tantum alimenta (7).

11. Notandum 3. Quod non potest servus operas suas sibi compensare, si ipse eas majori pretio dignas existimet, quam est quod accipit, cum proscripta sit hæc propositio 37. ab Innoc. XI. quæ dicebat: *Famuli domestici possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Nihilominus recte dicunt Viva, et Salm. Lessi. et Molina (quicquid dicat La-Croix) hoc non procedere, cum servus necessitate coactus convenisset de salario notabiliter minore justo; quia tunc, sicut dominus teneretur sol- (4) n. 345 — (5) N. 346. — (6) N. 347. — (7) N. 348.

vere justum, ita servus potest sibi compensare (sed non ultra infimum); dummodo (ego subjungo) herus pro eodem pretio minore justo non invenisset sine justitiæ læsione qui ei famulatus fuisset. Præterea dicunt Sotus, Navar. La-Croix, Corella Filguerra, etc. quod tunc servus non potest majus salarium exigere, quando proprio libito augetur operas debitas, non autem quando eas augetur ex voluntate expressa, vel tacita domini. Tunc tamen dicunt Viva, Croix, et Cardenas, quod non potest servus ex se facere compensationem sine consilio peritorum, aut alicujus theologi valde docti. Contra tenent Salm. quod si compensatio esset evidenter justa, et abesset periculum allucinationis, quia res de se patens esset, tunc potest servus juxta infimum pretium compensationem sibi facere. Et dicunt quod præfata propositio ideo damnata fuit, quia nimis generaliter loquebatur (1).

12. III. Circa conjuges peccat vir, 1. Si male habeat uxorem verberibus, aut contumeliis sine justa causa; potest autem cæteroquin in eam animadvertere, juxta accedente causa (ut esset præsertim causa honoris), dummodo animadversio esset competens statui, et conditioni uxoris, ut dicunt Busemb. Elbel, et Gob.; alias dupliciter peccaret. 2. Si uxori est impedimento, quominus satisfaciatur præceptis: si vero tantum ei impediret ea, quæ sunt concilii, nimirum frequentiam Sacramentorum, dicunt Bonac. Sayr. Bussemb. Fillic., etc. quod si impediret sine causa, tantum venialiter peccaret, non autem graviter, nisi sibi constaret, quod ex ipsis uberiorem fructum illa perciperet (2). 3. Si negat, aut negligit ei procurare alimenta, intelligitur injuste: nam juste potest ea negare, si mulier discedit ab illo sine causa, aut si illa adulterasset, ut dicunt Sanch. et La-Croix, cum Castropal. (3). Quoad dotem ta-

(1) L. 3. n. 522. et seqq. — (2) N. 356. — (3) Sanch. de matrim. l. 40. disp. 8. n.

men propter adulterium non potest vir sibi abdicare illam ante judicis sententiam: licet ut dicit Croix cum Castrop contra Sanchez, possit uxori repetenti dotem opponere exceptionem adulterii (4).

13. Peccat vero uxor, 1. Si non obedit viro in eo, quod justum est (præsertim in non reddendo debito conjugali), et si domesticam gubernationem sibi assumit, modo vir ad eam habilis sit, aut non sit profusus in prodigendis rebus suis. 2. Si de rebus communibus impenderet plus quam solent sui ordinis aliæ uxores. Observa quod dicitur Tract. 10. num. 33. de furto. 3. Si ad secundas nuptias transiens non servat filiis prioris conjugii bona, quæ a primo viro accepit, quorum tantum usus sibi competit, ut habetur ex Authentica, *Ex testamento*, et Authent. *In donatione, cap. de secundis nupt.* 4. Si injuste renuit sequi virum, qui mulat domicilium, licet sine sufficienti causa, et etiam si in longinquas partes proficiscatur, ubi diutius ei morandum sit, quia si brevi redeundum esset, nec mulier tenetur ire, nec vir eam conducere, sicut etiam nec vir tenetur, si magna impensa opus esset, ad secum illam conducendam; ita Sanch. Tolet. Fillic. Salmant, et alii communiter (5). Contra non tenetur mulier sequi virum: 1. Si talis esset conventio inita in sponsalibus, et nulla accidisset nova et gravis causa, tunc non animadversa, ut dicunt Castrop. Novar. Sanch. Salmant, etc. (6). 2. Si vir vellet eam conducere ad malum finem. 3. Si illa in itinere deberet se exponere gravi periculo mortis; aut alterius gravis damni. 4. Si vir vellet peregre proficisci, ut dicunt Nav. et alii communiter (7). An autem uxor teneatur sequi virum exultantem? alii negant, sed probabilius affirmant Sanch. Bossius, et alii (8).

25. et La-Croix l. 3. p. 1. n. 714. — (4) lb. — (5) Lib. 6. n. 977. — (6) Lib. 3. n. 353. — (7) L. 6. n. 377. v. Regulariter. — (8) L. 3. n. 353.

## CAPUT IV.

## AD QUID TENENTUR PASTORES ANIMARUM

## PUNCTUM I.

## De parochorum obligationibus.

44. I. De residentia. Dispositiones Concilii.
45. Si residet inutiliter.
46. Bona fides non excusat a restitutione
47. De licentia requirenda ab Episcopo
48. Ubi residendum sit Papæ, Cardinalibus, Episcopis, et parochis.
49. Excusant charitas, necessitas, obedientia, et utilitas.
20. An sufficiat licentia oretenus, an tacita, an præsumpta.
21. Si addatur causa pro absentia, sed desit licentia.
22. An omnes fructus restituendi sint.
23. Et cui.
24. ad 27. II. De Sacramentorum administratione.
28. An tempore pestis, etc.
29. III. De celebratione Missæ.
30. ad 32. IV. De correctione.
33. Debet impedire quominus clericalem habitum suscipiant, et denegare fidem indignis.
34. Debet inquirere, etc. et præcipue schedulas Communionis, matrimonii impedimenta.
35. et 36. V. De concione, et doctrina christiana.
37. ad 44. Quæ gravioris momenti, ut annuntientur.
45. Aliæ obligationes parochi, nempe 1. Exemphum 2. assistere moribundis 3. eleemosyna 4. examinare obstrictos, etc. circa Baptismum. De pulsanda campana hora 3. post meridiem, etc.
46. A parochis pendent boni mores, et salus populorum.

14. Parochi multis oneribus devincti, sed quinque præcipue: I. Tenentur ad residentiam, II. Ad Sacramentorum administrationem, III. Ad celebrandam Missam pro populo, IV. Ad corrigendum, V. Ad prædicandum, et instruendum. De omnibus sigillatim. Et I. quoad residentiam ante omnia advertendum quod fuit declaratum, et dispositum a Tridentino Sess. 23. de reform. c. 1. super hoc. Itaque Concilium 1. suffi-

cienter declaravit (ut communit d. sententia intellectum est) omnes Episcopos, et præsertim cæteros omnes curatos teneri de jure divino ad residendum in loco, ubi cura exercenda est, dum ibi pastores dicuntur de jure divino teneri pascere oves non solum Sacramentis, et verbi divini prædicatione, sed etiam exemplo, cui non potest satisfieri, nisi per residentiam, qua præsentem se ostendunt. 2. Statuit quoad Episcopos (quod procedit etiam de parochis) ne a diocesi discedant, nisi una ex sequentibus causis ita postulet, nempe charitas christiana, vel necessitas urgens, vel debita obedientia, vel evidens Ecclesiæ, aut reipublicæ utilitas, approbata tamen a Papa, vel a metropolitano, etc. (Benedictus XIV. tamen eam approbationem in Bulla *Grave* soli Papæ reservat), providendo tamen, quantum fieri poterit, ne sua absentia oves aliquid patiantur detrimenti. Conceduntur cæteroquin Episcopis tres menses, quibus possunt abesse, sed ex æqua causa, et sine gregis detrimento, de quo eorum conscientia onerentur: hortantur tamen residere in suis cathedralibus temporibus adventus, quadragesimæ, Nativitatis Domini, Paschæ, et Pentecostes. Quoad parochos dicitur, quod ipsi nequeunt ecclesias derelinquere ultra menses duos modo non adsit gravis causa procul morandi, sed tunc non nisi ex licentia in scriptis a Episcopo obtinenda. Imo etiam illis duobus mensibus non possunt parochi discedere, nisi Episcopus approbaverit causam, et idoneitatem vicarii, quem semper tenetur substituere parochus cum discedit. 3. Declarat, et statuit omnes pastores non residentes præter peccati mortalis reatum, pro rata absentia non facere fructus suos ex cura provenientes, et teneri, alia etiam declaratione non secuta, ad illos restituendos vel fabricæ ecclesiæ, vel loci pauperibus, quacunque compositione remota.